

que textit. Num quae rogatio lata? num quae nova quaestio decreta est? Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus: ei viro autem mors parabatur, cujus in vita nitebatur salus civitatis: eo porro reipublicae tempore, quo, si unus ille occidisset, non haec solum civitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi forte, quia perfecta res non est, non fuit puniendae: perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit, re non perfecta, sed puniendum certe nihilominus. Quoties ipse, iudices, ex P. Clodii telis, et ex cruentis ejus manibus effugi? ex quibus si me non mea, vel reipublicae fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?

VIII. Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompejum, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest. Luget senatus: moeret equester ordo: tota civitas confecta senio est: squalent municipia: afflictantur coloniae: agri denique ipsi tam beneficium, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non fuit ea profecto causa, iudices, non fuit, cur sibi censeret Pompejus quaestionem ferendam: sed homo sapiens, et alta, quadam mente praeditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. In communi omnium laetitia si etiam ipse gauderet, timuit: ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. Multa etiam alia vidit, sed illud maxime: quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina: neque vero, quod nonnulli dictitant, secrevit in iudiciis legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir justissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupiisset. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea, quod consuetudines victus non